PRINCIPI JUVENTUTIS

GULIELMO

Celsissimo Duci

GLOCESTRIÆ

Præmaturâ morte abrepto

Scholæ Westmonasterienſis

ALUMNI REGII

Hæc Carmina Mœrentes Consecrant.

LONDINI:

Excudebat EDVARDUS JONES, in Ædibus Sabaudianis. MDCC.

AD

REGEM.

O *Mihi ſi Patriæ ſurgant in carmina vires,*
Et non degeneri ſanguine vena fluat!

Si poſſim Heroo pariter me attollere verſu,
Tangere vel ſimili callidus arte lyram:

Tum, **Gulielme,** *Tuas auderem dicere lauros,*
Fleret & æquævum mœſta Elegeia Ducem.

Neſcio quæ dudum gliſcunt ſub pectore flammæ,
Meque per Aonias mens jubet ire vias:

Sed vetat audaces niſus Puerilior ætas,
Nec quò mens urget, debilis ala vehit.

Quod poſſum, Comites ad Te deduco Poetas,
Proque meis, Socii quæ cecinere, fero.

Ipſe olim tentabo aliquid; Schola Regia nato
Cum dederit Genium, quem dedit antè Patri.

L. C. SACKVILE,
Dominus Buckhurſt,
Honoratiſſimi Comitis de Dorſet & Middleſex
Filius Unicus.

AD

Principem ANNAM.

NOndum Caſtalios pleno ſatis ore liquores
Ebibi, ut ex oculis lachryma docta cadat:

Sed didici gemitus tenero de pectore veros
Edere, quum Puero parcere fata negent.

Et dabit ingenium forſan maturior ætas,
Quo poſſim Partus concelebrare novos:

Tunc mea vivacem fauſto magis omine Prolem,
Et magis audaci carmine, Muſa canet.

Johannes Dominus Carteret,
Baro de Hawnes,
Honoratiſſimi Comitis de Bath Nepos.

In obitum Illuſtriſſimi Principis Ducis Gloceſtrenſis.

UTraque dum properat triſtes Academia leſſus,
Carminaque extincto Principe digna canit;

Nos etiam tenui conamur arundine carmen,
Non par, Granta, tuo; nec, Rhedycina, tuo:

Non ea vis animi, nec tanta ſuperbia Nobis,
Ut Veſtris certet fiſtula noſtra tubis.

Quis tamen has lacrymas teneris inviderit annis,
Aut Pueros Pueri funera flere vetet?

Græcia dum ſacros inſtaurat in Elide ludos,
Diiſque pio meritos æquat honore Duces;

Multus adeſt Chromius, multuſq; in pulvere Theron,
Victoreſque ornat prima corona Viros:

Nec tamen interea Pueri in certamina ceſſant,
Curſor Ageſidamas, Alcimideſque Pugil.

Edmundus Hall,
Coll. Weſt. Alumn. Reg.

SÆpiùs illius mihi noctis imago recurret,
Quâ, Gloverne, tuas triſtem comitatus ad urnam
Relliquias, vidi ritus ſuper oſſa ſolutos:
Vidi pullatam lentè procedere pompam
Patrumque, Procerumque, & acerbos ducere luctus.
Ut redii ſerus, curiſque ingentibus æger,
Paulatim madidis obrepſit ſomnus ocellis;
Viſa mihi, cœlo delapſa, Parentis *Eliſæ*
Umbra potens, meque his ſocioſque urgere querelis,
Indignata. Quid, O mea turba, jacetis inertes?
Quid tacito tantum juvat indulgere dolori?
Vidiſtis, mœſtæ pars & Vos parva catervæ,
Exequias; lacrymaſque (heu munera vana!) dediſtis.
At ſic Gloverno extremos ſolviſtis honores?
Nil opis eſt veſtræ ulterius? Quin cernite, quanto
Undique ſollicitæ reſonent plangore Camœnæ!
Quis nunc tentat Epos? Quis acutæ tangere geſtit
Fila ſciens citharæ? Nil funera Regia tardos
Accendunt animos? Proleſne audetis *Eliſæ*
Dici, atque audetis nil tanto nomine dignum?

Ergo.

Ergone Ego hanc Muſis ſacram, & ſuper æthera no-
Fundatrix poſui, prope noſtra Palatia, ſedem, (tam,
Cedat ut ignavis locus? Haud mihi talia quondam
Promiſi authori; nec talem fama meorum
Priſtina progeniem juſſit ſperare futuram.
An vos præteritos mecum remeare per annos,
Vateſque, & meritos Phœbêæ frondis honores
Enumerare juvat? plenove undantius amne
Dulcis *Coulêi* ingenium? grandeſve cothurnos
Johnſoni? an magno in ſcenam cum pondere miſſos
Drydeni verſus recolam, numeroſque potentes?
Hunc modo vidiſtis ſacrâ deponere terrâ
Laurigerum caput, Aoniâ plangente coronâ,
Et gremium in noſtrum multâ cum laude reverti;
Felicem tumulo! Quanquam O ſi viveret Ille,
Magne Puer, non ſic indeploratus obiſſes!
Quantos Ille ſuo mœrens e pectore queſtus
Promeret, Heroo gemeret ſeu carmine raptum,
Jungeret Orphêo ſeu carmen flebile plectro! (rum
Sed quid Ego hos memoro? ſtimulet vos iſta meo-
Fama recens, & adhuc Laurus in fronte virentes.
Audiſtis, dextro quid poſſet Apolline magni

Dorſetti vis acris, & haud imitabile carmen!
Quò *Montacutum* rapiat ſublimior ala
Ingenii, ſacrum ut caput inter nubila condat!
Audiſtis, quicquid dederint molle atque facetum
Stepnêo, facili gaudentes carmine Muſæ:
Et quo, Pindaricos auſus recludere fontes,
Wilhelmum æternet *Pryor*, & ſua ſecula verſu!
Non Hi, adeo indecores, famamque & fata Gloverni
Dicere ceſſâſſent, non, his ſi forte cubarent
Sub trabibus nunc, ut quondam, mea cura, togati.
Quin & vos, nimiùm timidi, lugubria mœſtæ
Tangite fila Lyræ: me dignas ſumite vires,
Sumite, Majorum memores & laudis avitæ.
Dixit, & æthereas iterum petit ardua ſedes,
Cælicolûm quà cincta ſedet Maria canoro
Agmine, Glovernuſque noviſſimus hoſpes Olympi.

Richardus Jekyll,
Coll. Weſt. Alumn. Reg.

QUalis miniſter fulminis aliger,
Quem Rex ab alto Jupiter æthere
Demiſit ad terram, inter amnes,
Inter agros volat hoſpes audax;

Illum emicantem turba volucrium
Miratur, illum cantibus æmulis
Laudare certant, & volenti
Obſequio Dominum ſalutant:

At mox Olympi Nobilis incola
Ales, recuſans hîc avium choro
Multùm immorari, linquit amnes,
Linquit agros fugiente pennâ.

Talem Glovernum, non ſine numine
Delapſum ab aſtris, excipit hoſpita
Tellus, & exciti futuram
Spem Britonum celebrant Britanni.

Omnis Gloverno perſonuit lyra ;
Laurum Gloverno, & Martia deſtinat
Alter Trophæa ; aptat jocoſo
Alter Hymen Hymenæe plectro.

Atqui beatas Ille Deûm domos
Affectat, arces impiger igneas
Jam nunc requirit, nec moratur
Ultrà homines, hominumque curas.

Illinc fidelis ſtat comitum cohors,
Et, quem vocavit, Prime ſodalium,
Churchillus ; hinc Pater ; doletque
Dia Parens, nimis heu dolenda.

Ille & querelis, & lacrymis parum
Attentus, urget non aliter viam,
Quàm ſi ſecutus, per *Cuperi*
Arva, canes timidumque cervum.

Carolus Fairfax,
Coll. Weſt. Alumn. Reg.

O Thamiſis Pater, auguſto quì flumine lambis
Vinſoriaſque arces, Etonioſque lares:

En tibi defuncti mandatur cura Gloverni,
Et vehit exanimem Regia cymba Ducem.

Quà tranſit, glaucis Nymphæ illachrymentur ocellis,
Atque udâ pulſent pectora mœſta manu;

Stent circùm Nautæ, & faciant convicia Parcis,
Crudeles Dominum quæ rapuere tuum:

Et qualis temere, Æneâ mirante, ruebat
Ante Acherontêum lurida turba vadum,

Matres atque Viri, Pueri, innuptæque Puellæ,
Robuſti Juvenes, invalidique Senes;

Talis nunc effuſa tuas premat undique ripas,
Non numeroſa minùs, nec minùs ægra cohors:

Dum lentè occiduas cymbam devolvis ad oras,
Et mœſtum noſtro in littore ponis onus.

Nos tumulum dabimus, nos & comitabimur urnam,
Nos dabimus lachrymas, ultima dona, Duci.

Quem ſi Tu digno victurum carmine ſperas,
Et cupis a ſerâ poſteritate legi;

Tende retro, Thamiſis, verſoque relabere fluctu,
Littora felici quà lavat Iſis aquâ.

Detinet Aonias illic Rhedycina Sorores,
I nunc, & Dominum dic canat Illa tuum,

Illa tuum Dominum; &, ſinerent ſi fata, futurum
Immenſæ Regem, quà patet Orbis, aquæ.

Richardus Ince,
Coll. Weſt. Alumn. Reg.

DUM tua felices reſpexit cura Camœnas,
Tantâ & gaudebat pagina trita manu;

Certatim Tibi docta dicabat turba labores,
Sudabant chartis & Tibi præla novis.

Prodibat bene curatâ, ut quondam, cute Flaccus,
Talbotti ſtudio pulchriùs ore nitens;

Felix ante alios, qui, non dilatus in annum,
Cæſareas poterat ſæpe ſubire manus.

Hoc citò ſperabat Comœdia læta Terentî,
Hoc & ſublimis grande Maronis opus.

At nunc docta Cohors opera imperfecta reliquit,
Neſcia cui Domino munera tanta paret.

Nunc alia exercent orbatas penſa Camœnas,
Carmine nunc alio præla, Gloverne, gemunt.

Edvardus Smythe,
Coll. Weſt. Alumn. Reg.

Undique dum ſtimulâſti animos, Gloverne, Bri-
(tannis,
Inque tuum obſequium Patria tendit ovans;

Crevimus hîc etiam Pubes tibi ſedula, Regis
Semper amans, Regi ſemper amata Cohors;

Hic præcepta omnes teneris infixa medullis
Hauſimus, imperio fida futura tuo:

Sive alius quondam divina oracula pandet,
Sive alius patrii libera jura fori;

Seu Martis rigida, aut Phœbi ſtudia alma ſequetur,
Hic bene geſta canens, ille canenda gerens:

Tota tua eſt, operis varii ſtudioſa, Juventus,
Atque ſua auſpiciis deſtinat arma tuis.

Nunc heu! quem vivo largiri mallet, honorem
Solvit in exequiis officioſa tuis.

Georgius Muſgrave,
Coll. Weſt. Alumn. Reg.

QUÆ vis acutæ febris, & improba
Peſtis tenellos, Optime Dux, Tibi
Serpit per artus, & maligno
Viſcera depopulatur igne?

Ratclivus adſtat, qui toties ſagax
Trahentis ad ſe cuncta Proſerpinæ
Eludit iras, atque avaro
Egregius dominatur Orco:

At non, ut olim plùs vice ſimplici,
Te nunc jacentem, Maxime Principum,
Charæ redonabit Parenti,
Et ſuperâ recreabit aurâ.

Non ipſe diri *Hanneſius* impetum
Morbi retundit, ſæpe Parentibus
Solamen unum, ſæpe præſens
Virginibus Puerisque Pæon.

Fruſtra Ille fidâ mente recolligit,
Quodcunque Coi charta monet Senis,
Et quicquid a vulgo remotis
Claudit Arabs Meſues tabellis.

Nil juvit Illum gloria Chymiæ,
Aut fontium quod nôrit origines,
Quacunque mortales per artus
Lympha fluit ſaliente rivo.

Cui nunc Poetæ Phœbus amicior
Miſcere donat ſideribus Ducem?
Te, Noſter *Hanneſi*, requirit,
Hoc etiam Tibi munus addit.

Quin Tu, potentum prime Machaonum,
Tu prime Vatum, ſi Procerum ſalus,
Si triſtis Anna, ſæpe curas
Anna tuas & opem repoſcens,

Tantilla linquat tempora; ſi modo
In Te locatæ ſpes Britonum ſinant
Vacare pauliſper Camœnis,
Tange Lyram ſemel otioſam.

Georgius Tollet,
Coll. Weſt. Alumn. Reg.

DUM ferro audaces ſternit *Naſſovius* hoſtes,
Undique dum belli terror, & arma ſonant;

Prælia ficta moves & Tu, Gloverne, paratus
Maturâ demum vera movere manu.

Nunc ubi tranquillo riſit Pax aurea vultu,
Explicuitque ſuas mitis Oliva comas;

Nunc ubi *Naſſaïdes* ſecuris otia fecit
Gentibus, & fines juſſit habere ſuos;

Pacatum linquis Princeps Mavortius Orbem,
Cum videas Armis nil ſupereſſe tuis.

Gulielmus Dobſon,
Coll. Weſt. Alumn. Reg.

Danus & Anglus.

Dan. QUO vultum avertis? veterem vetus Hoſpes (amicum
Reſpice: quod paſcis cæco ſub pectore vulnus,
Torvum & triſte tuens? *Ang.* Quid me alta ſilentia (cogis
Rumpere? ne luctus ingentes quære tuorum.

Dan. Quæro equidem, & ſocios cupio miſcere dolores.

Ang. Ille meus, tuus Ille Puer, communis utrique
Cura, obiit Glovernus; abi, nec plura moratus,
Fletibus indulge, & gravibus ſine fine querelis.
O Miſeranda Parens, toties quæ pignora profers,
In luctum fœcunda tuum! Quo crimine tanto,
Parcarum invidiam meruit fortuna Britannûm?

Dan. Cur te luctus agit Cœlum incuſare querendo?

Ang. Tune nihil durâ fatorum lege moveris?
An ſilices, durumque ligat tibi pectora ferrum?

Dan. Non obtuſa adeo geſtamus pectora Dani;
Eſt animus, tantæ quem poſſunt tangere curæ;
Sunt lacrymæ miſeris; & quod vos cunq; Britannos,
Nos etiam affligit communi vulnere fatum.

Sæpe

Sæpe ego venturi lætatus imagine ſecli,
Fortunas Patriæ meçum famamque revolvi:
Sæpe mihi dixi, tandem, fortiſſime *Georgi*,
Tandem digna tuo deſcendit ſanguine proles,
Quæ Danos Anglis æterno fœdere jungat.
Dum noſtris jungunt Angli ſocia agmina turmis,
In nos ſeu denſis deſcendunt Sueones armis,
Seu vicina movet ſolitas Holſatia turbas,
Danica ſe quantis attollet Gloria rebus!
At nunc ira Deûm terret me ſæva, jubetque
Spes inconceſſas, & inania ponere vota.
Ang. Nec nos, Dane, minùs votis indulſimus Angli,
Nec minùs aerii rapuerunt irrita venti;
Nam validæ pueri vires & firmior ætas
Spondebant meliora ſuis; accendere mentem
Cœpit amor famæ, & Patriæ virtutis imago:
Jam ludum, & ficti ſimulachra relinquere belli
Arſit, & in magnas *Gulielmi* aſſurgere laudes:
Miratur Pueri virtutem æquæva Caterva,
Omnis & in charo Populi ſtat cura Gloverno;
Spectantem interea pertentant gaudia Matrem.

At nunc Illa quidem, vultum mutata decorum,
Flet noctem,& mœſtis implet tectum omne querelis.
Dan. Ne te ultra teneam, non mœſtæ inquirere pergam
In gemitus *Annæ*, & ſævos renovare Dolores;
Quid tamen interea Genitor fortiſſimus Heros?
Pectora num tantæ tetigere virilia curæ?
Quo vultu Sponſamque, & fœmineos ululatus,
Feralem & vidit turbata per atria Pompam?
Ang. Quo vultu? haud illo quo Suecorum agmina vidit,
Semianimeſque viros, truncataque membra ſuorum
Impavidus, medioſque alacrem ſe miſit in Hoſtes,
Aut charum dubio lethi diſcrimine fratrem
Eripere, aut eadem ſortiri fata paratus:
Jam cecidit vigor, atque illa olim immota periclis
Mens, uno tandem hoc, hoc vulnere victa labaſcit.

Carolus Jewkes,
Coll. Weſt. Alumn. Reg.

O Dea, cui lecti cura eſt commiſſa jugalis,
Quæ matres multâ prole, Diana, beas!

Anna Tuum ſenſit quàm ſæpe Puerpera Numen,
Cum poſuit fauſtum Regia Mater onus?

Quò tamen hæc tribuis non parcâ munera dextrâ,
Dona tuæ rapiat ſi Libitina manûs?

Anna ſuum peperit, Te Diva favente, Glovernum,
Quem raptum, Parcâ non miſerante, dolet.

Ante tuas humiles iterum procumbimus aras,
Atque pio ſolitam thure rogamus opem.

Quin Tu Prole novâ mœſtam ſolare Parentem,
Cui par egregio ſplendeat ore decor.

Sit ſimilis Fratri vultuque animoque; ſit Aſtris
Tam citò maturus, ſerior Aſtra petat.

Carolus Theyer,
Coll. Weſt. Alumn. Reg.

JAM, cœlo volvente vices & lucis & anni,
Illa redit juſto temporis orbe dies,

Illa dies, quæ Te Populo, Gloverne, Britanno
Optanti, & Tecum gaudia mille dedit.

Jam citharæ dulci ſonuere Palatia cantu,
Et multa auditur vox ſociata lyræ;

Atque aliquis Vates, cui non arriſit Apollo,
Carmina fatidico garrulus ore canit;

Multos Ille annos Puero promittit, & olim
Hanc lætam ſpondet ſæpè redire diem:

Tu tamen in medio langues, Gloverne, Triumpho,
Et febris lento macerat igne jecur.

Natalis mutet jam lux infauſta colorem,
Nec Creſſâ ulteriùs ſplendeat illa notâ:

Gaudia plura quidem non attulit ulla Britannis,
Nec plures gemitus attulit ulla dies.

Michael Broughton,
Coll. Weſt. Alumn. Reg.

O Spes occidua, O triſte decus tuis,
Donarem Effigies (heu!) tibi ſedulus,
Quales mitis habet *Carolus*, & bona
Maria; artificem ſi modo ductilis
Non multùm abnueret cera ſequi manum.
Donarem poſitos marmore Hymettio
Vultus, aut liquidis ora coloribus
Deſignata libens, ſi calamum mihi
Knellerus daret, aut *Guibonius* ſtylum.
Nec Tu, Dive, tamen reſpue munera,
Hæc quæ Pieriæ turba ſciens Lyræ
Haud ſpernenda damus. Carmen Achaïcis
Flammis Hectoriden eripuit, neque
Aſperſus fluvio Caſtalio Puer
Invidit Stygios Æacidæ lacus.

Carolus Brent,
Coll. Weſt. Alumn. Reg.

DUM Puer extremas ducit Glovernius horas,
Et ſummo effugiens ſpiritus ore tremit ;

Mater fuſa ſuper, corpuſque amplexa Jacentis,
Quò fugis, exclamat, quò mea Vita fugis ?

Nunquam ego Te aſpiciam rurſus ſimulata cientem
Bella, Triumphali cingere fronde caput ?

Nunquam dulce loqui, nunquam ridere decorum,
Nunquam oculis iterum fundere molle jubar ?

Occidis ante diem, nec noſtræ debita Proli
Ornavere tuas Sceptra Britanna manus.

Immatura omnes ſi tam citò funera poſcant,
Ah minor eſt natos non peperiſſe Dolor !

Ille oculos vix attollens in morte natantes,
Edidit hos animâ deficiente ſonos :

Mitte ſupervacuas lacrymas, vexare querelis
Te nimiùm, Mater, deſine Meque tuis.

Non eſt viſa priùs triſtis mihi mortis Imago,
Sed quòd Tu doleas, eſt mihi triſte mori.

Johannes Wheeler,
Coll. Weſt. Alumn. Reg.

NON, quales lachrymas Pueri ſuper oſſa tenelli
Projiciunt mollis Mater & ægra Soror,

Tales, ingenti perculſa Britannia luctu,
In tumulum effundit, magne Gloverne, tuum.

Occidis Angligenæ exemplum memorabile Pubi,
Seu Martis, ſeu Tu Palladis arma geris;

Non Te fœminei cœtus, habiliſve moratur
Ad citharæ lætos ducta chorea modos:

Te tuba, Te rauco delectant cornua cantu,
Te Ducis Auriaci bella referre juvat:

Alter ab Auriaco audiſti Tu ſæpe, ſed a Te
Uno omnes clamant ore, Quis Alter erit?

Georgius Benſon,
Coll. Weſt. Alumn. Reg.

O Dolor! O Britonum nuper ſpes una tuorum!
Cœlo digne Puer, ſed adhuc non debite Cœlo,
Quo fugis? aut cur nos miſeros, terraſque relinquis,
Vixque ſalutatos, heu! tam citò deſeris Anglos?
Nos ergo mens augurio deluſit inani,
Qui Tibi felices auſi promittere ſoles,
Diximus, O communis amor Gloverne Britannûm,
Mox Tibi, maturâ ſenſim florente juventâ,
Hinc Pater, hinc dignos accendet Avunculus ignes:
Mox Te Martis amor, laudumque arrecta cupido
Ad Rhenum Moſamque feret, lætoque redibis
Victor ovans curru, & Populi per compita fuſi
Accipies picturato ſub fornice plauſus.
Et Nos, æquali qui Tecum accreſcimus ævo,
Pars Tibi nitemur dignum cantare triumphum
Ad citharæ modulos, pars palmæ hederæq; corollas,
Et virides circum tua tempora flectere lauros.

Nos, quibus antiquas decorant Regalia turres,
Queis Olei eſt, ſacrique vetus cuſtodia Sceptri,

Nos

Nos Te ſancta ſequi quondam in penetralia templi
Vovimus, & frontem gemmis ſpectare coruſcam,
Inque manus auri poſitum geſtamen Aviti.
Ecce aliam in Templis pompam! Procereſq; Patreſq;
Funereas lento ducunt cum ſyrmate pallas.
Sic, Gloverne, venis noſtris ſub mœnibus hoſpes,
Ut picto ornatus Caducifer adſtet amictu,
Et numeret titulos, & munere functus inani
Projiciat fractam buſta in puerilia virgam?

Quo licet extinctum, Socii, decoremus honore;
Ite pii Juvenes, & triſtem ferte Cupreſſum,
Ferte leves Elegos, & flebile Carmen ad Urnam;
Quale dari ſuper oſſa decet morientis Iuli.
Me, medium inter opus, me dicere plura volentem
Impediunt gemitus, lacrymæque per ora volutæ.

Gulielmus Chetwynd,
Coll. Weſt. Alumn. Reg.

QUalem Te, Gloverne, Britannia plorat alumnum!
Quas ſpes ingenii foverat Illa Tui!

Dum nos Romanæ exercent elementa loquelæ,
Multipliceſque inter Græcula puncta Toni;

Tu verſas Antiqua Puer monumenta Britannûm;
Et recolis claros, quos imiteris, Avos;

Aut foſſas calamo ductas & mœnia ponis,
Surgit & in tabulis parva Namurca Tuis;

Atque ais, hâc Galli vincuntur parte, fugamque
Hinc, *Bufflere*, paras, hinc, *Gulielme*, premis:

Aut chartas oculis luſtras, ubi dextera pinxit
Terrarum varias ingenioſa plagas;

Cernis ut Oceani cingat tutela Britannos;
Stent circùm & celſæ, mœnia tuta, rates.

Hìc, inquis, Juvernam, hìc Gallica littora cerno,
Fors olim titulis annumeranda meis.

Hæc Tu, ſed ſtudio nimium fallente! negârunt
Imperio Parcæ debita Regna Tuo.

Richardus Moreton,
Coll. Weſt. Alumn. Reg.

QUas, Gloverne, Tibi non optat Patria laudes?
Quo titulo, quo Te nollet honore coli?

Quàm citò Regalis Tibi crura Periſcelis ornat,
Vinſorioſque Equites poneris inter Eques!

Tu tamen æthereos audens petis incola tractus,
Quæris & in cœlo jam nova ſtella locum.

Quâ celſi, quâ parte, Puer, lucebis Olympi?
Quaſve paras ardens irradiare plagas?

Cor *Caroli* Arctoo præbet ſua lumina mundo,
Et dubias Nautam non ſinit ire vias.

Quà cœli ſpatia ampla vacant, Tibi delige ſedem,
Auſtralem, raro qui micat igne, polum.

Cumque iterum ignoti terras ſcrutabitur Auſtri,
Certius *Hallêæ* dirige navis iter.

Edvardus Plaſſe,
Coll. Weſt. Alumn. Reg.

INcipias mecum triſtes, Elegeïa, cantus,
Et mœſto lacrymas ex Helicone petas.

Gloverno quis enim Carmen lugubre recuſet?
Juſtior heu nunquam cauſa doloris erat.

Quantis Ille animum tenerum virtutibus ornans,
Et Patriæ voluit Miles & eſſe Decus!

Belli præcepta & Pacis quam ſedulus hauſit,
Marlburii Decus, ah! *Marlburiique* Dolor!

Sæpe illi Mater dixit, Chariſſime, cernis
Aſpera bella ferox ut *Gulielmus* agat;

Illius auſpiciis Tu diſces arma movere,
Illius auſpiciis & ſuperare, Puer.

Macte novo quo Te cumulat *Gulielmus* honore,
Iam Juvenum Princeps, deinde future Senum.

Nunc alia eſt infelici ſententia Matri,
Nunc alias animo concipit Illa preces.

Nunc

Nunc ait, æternâ vigeas, *Naſſove*, Juventâ,
Victrici & ſemper ſceptra tuere manu:

Succeſſore egeas nullo, quando occidit Ille,
Qui ſolus meruit Te, *Gulielme*, ſequi.

Georgius Watſon,
Coll. Weſt. Alumn. Reg.

QUàm citò crudeles Gloverni ſtamina Parcæ
Abrumpunt, longâ ſtamina digna morâ!

Ille tamen præcox doctas priùs imbibit artes,
Et didicit claros Marte referre duces.

Ante annos animum geſſit curamque virilem,
Atque inter Pueros deſiit eſſe Puer.

Anglia feſtino Dominum tibi funere raptum
Quid quereris? non eſt juſta querela tua.

Occubuit cœlo qui tam maturus & aſtris,
Implevit longos Neſtoris Ille dies.

Thomas Ward,
Coll. Weſt. Alumn. Reg.

Ruſticus & Aulicus.

Ruſ. CUR ploras, vultu ſolitus ridere ſereno?
Aul. Nondum infelicem te tua damna movent?

Ruſ. Quid luges? *Gulielmus* abît, Batavoſque reviſit?
Aul. Heu non ad Batavos, ſed *Gulielmus* abît.

Ruſ. Quo tendit? longum ignotos iter urget ad Indos?
Quaſve domat terras, aut ubi victor abeſt?

Aul. Ah *Gulielmus* abît ſuper & Garamantas & Indos,
Æternas abſens nectit & ille moras.

Non tamen ille tuus *Gulielmus*, at Alter ab illo,
Par animis, annis ſit licet ille minor.

Occubuit patriæ decus, & ſpes una Glovernus.
Quis ſatis in tanto funere mœſtus erit?

Ruſ. Occidit Ille ergo Ruriſque Aulæque voluptas,
Pro quo Diis toties farrea liba tuli?

Sic ſæpe in viridi meſſem præſumimus herbâ,
Sic horti teneras enumeramus opes:

Mox

Mox ubi conſurgunt inimico flamine venti,
Sternitur herba virens, crudaque poma cadunt.

Aul. Neſcis, quæ luctûs facies triſtem occupet aulam,
Et quos det gemitus Vinſoriana domus.

Ingemit æquævus verſis exercitus armis,
Deflet & amiſſum turba tenella ducem.

Materni at quem non percellit imago doloris?
Quiſve poteſt luctus, *Anna*, referre tuos?

Nulla Pius Conjux præbet ſolamina mœſtæ,
Qui jam vix curæ ſufficit ipſe ſuæ.

O redeat mœſtam felix *Naſſovus* ad Aulam,
Optato & Præſens recreet ore ſuos,

Quamque parant omnes læti celebrare, lapillo
Natalem illuſtret candidiore Diem.

Johannes Bedford,
Coll. Weſt. Alumn. Reg.

Umbra defuncti Ducis alloquitur Matrem.

QUid, Mater, gemitu, quid querimoniis
Urges me nimiis? non veniens Tuis,
Diſcedénſve valebit
Finem lux dare queſtibus?

Nobis æthereas non iterum datur
Ad ſedes reditus, quos adamantina
Ditis porta coercet,
Immitiſque Stygis liquor

Circumfuſus habet. Non Dea Cypria
Dilectum Puerum faucibus eripit
Orci, non Hyacinthum
Herbarum revocat Deus.

Me charis iterum fratribus additum
Mulcet grata quies, dum vacui ſimul
Dulces ducimus horas
Plauſus inter & oſcula.

At Tu mitte queri; ſic Tibi mitia
Addant fata dies, quos mihi dempſerint;
Et lugubre rependat
Damnum, prole benignior

Ilithyia novâ. Te Dominam volunt,
Te poſcunt columen Regna Britannica,
Sævum pelle dolorem,
Sævum pelle metum Tuis.

Tu vive atque vale; heu non tuus! avocor
Ad Manes; tenebræ diffugiunt polo,
Et me lucidus efflat
Adverſis Oriens equis.

Thomas Hill,
Coll. Weſt. Alumn. Reg.

SIdereas, Gloverne, petis novus incola ſedes,
Cœlicolaſque vides, Cœlicolûmque domos.

Cognatos ſpectas illinc longo ordine Reges,
Et quos jactavit terra Britanna Duces:

Hinc *Maria* avidis venientem amplectitur ulnis,
Preſſat & ad mollem terque quaterque ſinum,

Salve inquit, dilecte Puer, quem, debita cœlo,
In terris virtus non ſinit eſſe diu.

Nec Te pœniteat charos liquiſſe Britannos,
Et Regna, & manibus ſceptra gerenda Tuis.

Tu mecum æthereo felix hic paſcere ſucco,
Flumina quà lactis, flumina mellis eunt:

Interea tutos *Gulielmus* protegat Anglos,
Ille meum penſet funus, & Ille tuum.

Johannes Addenbrooke,
Coll. Weſt. Alumn. Reg.

SÆpe ego, dum ſiccos urebat Sirius agros,
Verſabam patulæ fuſus ſub tegmine fagi,
Quos ſoleo mecum comites educere, libros.
Inſpexi Flaccum, inſpexi divina Maronis
Carmina, ſollicitas animi fallentia curas.
Illic Quintilium vidi ut ſopor altus haberet,
Vidi etiam Myſten raptum puerilibus annis,
Teque tuas, Valgi, juſſum finire querelas.
Hìc ſenis Evandri fletus, juveniſque legebam
Pallantis lethum, *quem non virtutis egentem*
Abſtulit atra dies, & funere merſit acerbo.
Te vero ante omnes, magno percuſſus amore,
Te primâ extinctum legi, Marcelle, juventâ:
Ter, quater evolvi Anchiſæ memorabile carmen,
Et quo Te luctu, dixi, flet Romula pubes!
Quo ſtudio in tumulum flores, triſteſque cupreſſos
Deponunt! & fors aliqui quoque carmina donant.
Multa ſuper Puero recolens, & multa revolvens
Matre ſuper miſerâ, quis Te tum, Octavia, dixi,
Horror, quæ luctûs orbam turbavit imago!

Et quantos Cæſar gemitus de pectore fudit!
Hæc Ego dum mecum; ſtupefactas impulit aures
Confuſus malè clamor, & illætabile murmur.
Venerunt Nymphæ, & paſſis dixere capillis,
Heu! Glovernus ubi eſt? venit Tritonia Pallas,
Et, Glovernus ubi eſt? dixit: quin venit Apollo,
Filaque flebiliter pulſans, jam deſine, dixit,
Marcellum flere, hæc Glovernus munera poſcit;
Munera, Gloverno vellem quæ ſola negari.
Felix Marcellus! dixi, quem Muſa Maronis
Defunctum cecinit; felix Octavia Mater!
Quæ Nati egregias laudes moribunda legebat.
At quis Te, Gloverne, Tuamque in ſecula famam
Æternet? Tibi quis lauros & præmia vatum
Non moritura paret? non hoc ego debilis auſim,
Nec mea ſperârit laudes æquare canendo
Muſa; Vale, Puero tantùm prælate Latino,
Magne Puer, quantò vatem ſortite minorem.

Richardus Clutton,
Coll. Weſt. Alumn. Reg.

אבדה תוחלת ארצנו ואבד רצון מלכנו
כעשב פרח וימל ויברח כצל וחדל
מי ילדוחנו יכבר ומי זקנים יעודד
יכפדו לו הבחורים יספדו לו הזקנים
הצבי אמים חללה והדרתו לא הוכלה
גם שבת משוש לבנו ויהי לאבל כנורנו
ישמחו לנו רשעים יגילו כל האויבים
הגד לשלום קוינו רגע לשמה היינו
דמעה עינינו תרדנה חלל יחיד אל תדמנה
מת נדיב בחור וחכם אמנה כל הבל כל אדם
עזב מלכות ויולדים ויורש מלכות על עבים

Edmundus Hall,
Coll. Weſt. Alumn. Reg.

עוברי דרך כל ראו אם מכאבים כמכאבנו
כי נפלו נאהבים אל זה הגידו בגוים
בדד העיר כאלמנה ודמעתה על לחיה
לארץ נפלה עטרת ויחד כלא תוחלת
צר לי חמרמרו מעי על זה יגילו אויבי
מית אנכנו מה יחיל והחשיך יום כליל
שבתה שמחת קולנו יש כאבל מחולנו
מת ישראל בכי בכו כי הודך אבד עמו
על מה עינינו חשכו איך גבורים איך נפלו

Carolus Jewkes,
Coll. Weſt. Alumn. Reg.

הלא יסופו מאישים כל נדיבים וגם עמים
הלא מהר לאדמתם ישובו יחד עצמותם
אין לשלמה חכמה סמורת אין לדוד ענוה פיורת
זו בחייהם כוכבים האירו בני העברים
אתה כשמש זרחת ושמחת ריקם נתת
כי אורך זרת ארכו נוגחך ליל בעדו
כי אם עם אשרי נדיבים תבאת פתחי עולמים
עטרת מפז תעטר ולא מות אודך תסתר
יחי במות זכרך בשאל יציצה שמעך

Carolus Brent,
Coll. Weſt. Alumn. Reg.

על מות לבן מזמור לשרתי

שמעו כל יושבי חלד
כאשר מת הילד
השרתי בביה
לבתולותיה אמרה
ספודנה עמי מספר
גדול מאד וכבד
הנה אבדה תוחלתי
שכן לעפר כבודי
בהיות הילד חי
לא יראתי אויבי
ועתה זה שודי
מי יתן מותי
אני תחתיך בני בני

Edvardus Smythe,
Coll. Weſt. Alumn. Reg.

Πού τέχναι τοι, Φοῖβε, καὶ ἴπια φάρμακα ἦεν,
Πῇ ὑμεῖς πάντες τε Θεοὶ, πᾶσαί τε Θέαιναι
Ἡμάρτι τῷ ὅτε τυτθὸν ἀπώλεσε νέος Ἱλερμον;
Νῦν πλέον ἢ τὸ πάρος γ' ἐγένθ, Κύον Ὠρίωνος,
Σῆμα κακὸν, πυρεῖῳ γὰρ ἀπώλελο καλὸς Ἱλερμος.
Καλὸς καὶ νέκυς ὢν, καλὸς, ὡς ἔφθον, ἔπλετο θνήσκων,
Χρυσοῖς ἐν λεχέεσι τανυθείς, ὅια καθεύδων.
Ὤιμωξεν δ' ἐλεεινὰ Πατήρ· καὶ πότνια Μήτηρ
Καλὰς πάλλε κόμας, ἰκελὴ χρυσῇ Αφροδίτῃ,
Τέκνον ἐὸν γόωσ' ὀδ' ἔχ' ἐν σήθεσιν αὐδήν.
Αὐτίκα τεθναίην, Σὲ γὰρ θ', φίλε τέκνον, ἀφήσω,
Ἀλλ' ἕπομ', ὀσέα νῶϊν ὁμὴ σορὸς ἀμφικαλύψει.
Ὤ μοι ἐγὼ δειλὴ! ὤ μοι δυσαρισοτόκεια!
Ζωὸς ἐὼν κλέος ἦθα, θανὼν δέ μοι ἄλγιον ἄλγος.
Πολλύς μοι ὠθφόωσδε μογοσόκος Εἰλείθυια
Ἐξάγαγεν παῖδας· πάντες δὲ μινυνθάδιοί πες,
Πάντες ἐμοὶ ἄλγος, πάντων Σὺ δὲ μεῖζον, Ἱλερμε.
Θρέψα μάτην, ἀπίτηλα μάτην, φυτὸν ὡς ἐν ἀλωῇ,
Δύσμορος ὠκύμορον· ὃ νῦν δέ σε ὡς τὸ πάρος πες
Εὐχομένη, φίλε τέκνον, ἐν ἀγκαλίδεσσι φιλήσω,
Οὐ σ' ἄυπνος βλέψω ἵππων δαμάσσαντα κάρηνα,

Παμφαίνονθ' ὡς ἀςέρ' ἐνὶ πληθύϊ ἑταίρων,
Ἠδ' ἐπὶ νηπιάχων καλὰς πωλοῦντα φάλαγγας.
Ἀλλά τις ἀρτιεπὴς, καὶ ἐπίκλοπος ἔπλετο μύθων,
Ὅς μακρόν τοι ὑπέσχε βίον κρατέοντι Βρεταννῶν,
Νήπιος· οὐδ' ἐνόησ' ὅσα δή μοι κήδε' ἐφῆπτο.
Κλαῖε φιλοπτολέμων δειλὴ Γῆ κλαῖε Βρεταννῶν,
Μητὴρ ὡς καὶ ἐγὼ, δειλὴ καὶ δύσμορος ἐσσί.
Ὣς ἔφατο κλάιουσ', ἐπὶ δὲ ςενάχοντο γυναῖκες

Richardus Clutton,
Coll. West. Alumn. Reg.

Ἐπιτάφιον.

Πορφύρεον, Ξένε, βάλλε ῥόδον, κρίνα, καὶ κυπάρισσον,
Θερμά τ' ἐπ' εὔοδμον δάκρυα λεῖβε τάφον·

Κῦδος τῶν κρατερῶν κεύθει κόνις ἥδε Βρεταννῶν,
Ἐντὸς Ἔρωτα νέκυν, ἐντὸς Ἴλερμον ἔχει.

Κλεινὸς ἔη, καὶ θνητὸς ὅμως· γένος ἦεν ἀνάκτων,
Θνητὸς ὅμως· καλὸς, καὶ νέος, ἀλλὰ βροτός.

Παλλὰς ἀεὶ, Κύπρις τε τάφον κλάιουσα φυλάσσει,
Παλλάδος ἦε κλέος· Κύπριδος ἦε πόθος.

Michael Broughton,
Coll. West. Alumn. Reg.

Τί Σ Μοῦσα, τίς χελώνη
Ὕλαν τὸν Ἡρακλῆος
Ἑταῖρον οὐκ ἄειδεν;
Κύπριδ' ὑπερφιλέντα
Καλὸν τίς οὐκ Ἄδωνιν;
Ἑὸν τ' ἔρωτα μέλπων
Παλίμβιον τίθησι
Ἀνακρέων Βάθυλλον.
Μάλιστα δ' Ἀμμύκλαο
Ἄειδε παῖδ' Ἀπύλλων,
Καὶ, ἥν πεσὼν ὁ δίσκος
Ἥρπαζε παιδὶ ζωὴν,
Ἔδωκεν ἡ χελώνη.
Τίς τόνδε παῖδ' Ἴλερμον,
Τὸν μακρὸν εἰς Ὄλυμπον
Ἀναστρέφοντ' ἄωρον
Ἄιδει γλυκὺς μελῳδὸς;
Τίς μητρὸς ἠδὲ πένθος,
Ἄλγος τε τῶν Βρεταννῶν;
Σοῦ μνῆμα, παῖ, ἐν ἡμῶν
Μενεῖ ἀεὶ μέτροισιν,
Ἔι τοι ποιεῖν δύνανται
Μνημῆς καλαὶ θύγατρες.

Richardus Jekyll,
Coll. Weſt. Alumn. Reg.

Περσεφόνη, μάκαρ εἶ, τόδε πᾶν καλὸν ἔς σε καθ᾽ ἕξει,
Οὐκ ἔτι δυσδαίμων Ἄννα Γλόερνον ἔχει.

Αἰάζω τὸν Ἴλερμον· ἀπώλετο καλὸς Ἴλερμος,
Εὐχωλὴ Βριτόνων, ὠκύμορός περ ἐών.

Μητὴρ κειραμένη πλοκάμους ἠ ἀστάνδαλος εἶσι,
Καὶ νύμφαις, σῆθ᾽ συμπαλαθγῦσα, λέγει,

Πολλὺς Περσεφόνη φθονέυσ᾽ ἐμοῦ ἥρπασε παῖδας,
Εἰμὶ γὰρ εἰς ἀΐδην δῦφορος αἰὲν ἐγώ.

Τῶν πάντων δ᾽ πᾶσον ὀδύρομαι ὡς ἑνὸς, ὃς νῦν
Μακρὴν φθῦγε, πόθ᾽ δ᾽ ὡς ὄναρ ἔπτα᾽ ἐμός.

Αἰδεν ἀμερδείην βιότυ, θνήσκοντος Ἰλέρμυ,
Ὤι ἅμα τῆς Τρόιης κῦδος ὄλωλε νέης.

Οὐδε μόνας νήσυς μέγα πένθ᾽ ἶκανε Βρεθαννῶν,
Ἀλλὰ ἠ Εὐρώπης ἐσονάχησε δόμος.

Τρὶς μάκαρ ὦ Νιόβη, ἣ ὀδυρομένη φίλα τέκνα
Χωομένῳ Φοίβῳ θῦμα ἠ Ἀρτέμιδι,

Πετρώθης· μακρῆο δ᾽ ἐγὼ βιότοιο μεθέξω,
Μακρήτερον ζώω, πολλάκις ὥσε θανεῖν.

Abrahamus Francks,
Coll. Weſt. Alumn. Reg.

Ἄρχετε, Βρετταννοὶ, τῦ πένθεος, ἄρχετε πάντες
Οἷς πάρος οὐχωλὴ καλὸς Ἴλερμος ἔη;

Ἥρπασε νηλειὴς αἶσα· ὁ Φοῖβος Ἀπόλλων,
Οὐχ ὑμῶν Ἄλγος δειλὸν ἄμυνε μόρον.

Οὔπως ἡλικίην ἠδέσατο πότμος, ἔφηβος
Ὤλετο, ἀλλὰ νόῳ τοῖς πολιοῖσιν ἴσος.

Μήτης εἰσήκει γοόωσά τε μυρομένη τε
Ἣ ὀλιγοχρόνιον τίκτε, τεκοῦσα μάτην.

Καῖσαρ ὅτ' ἤκουσεν, μέγα δ' ἔζενε κυδάλιμον κῆρ,
Καὶ σῆμος παλάμαις ἐπλατάγησε πατής.

Βῆθι κατ' Οὐλύμπου χρύσεα φόρμιγξα, Ἄπολλον,
Καὶ σύγε, Μελπομένη, παιδὸς ἄεισε κλέος.

Ὡς ἐφάμην, Φοῖβος δ' ἔαγεν φόρμιγξα λιγείην,
Μελπομένη δὲ θεὰ δάκρυα λεῖβε μόνον.

Gulielmus Dobſon,
Coll. Weſt. Alumn. Reg.

Μηκέτ' ἐν ὑψηλοῖς θαλάμοις, Κρείουσα γυναικῶν,
Ἕζεο, ὡς τὸ πάρος, τὸ δὲ σήμερον ἴσχεο κώμων,
Ἐνθεμένη λεχέεσσι φίλον θάλος ἄρχε γόοιο.

Ἔγρεο παλλομένη κραδίην, ἀπόβαλλε κάτοπτρον,
Τίλλε κόμην, λέγε πᾶσιν, ἀπώλετο καλὸς Ἴλερμος·
Φεύγει μακρὸν Ἴλερμος, ἰὼν ὑπὸ κεύθεσι γαίης
Ἔρχεται εἰς Ἀΐδαο δόμους, καὶ μητέρα θνήσκων
Δύσμορος αἰνόμορον συγερῷ ἐνὶ πένθεϊ λείπει.
Ὣς ἔφατ' Ἀμφίπολος· τεταφοῦσα δὲ πότνια μήτηρ
Ἀμβλήδην γόωσ' ἔπεα πτερόεντα προσηύδα,
Προπροκυλινδομένη υἱοῦ φίλου αἰνὰ παθόντος·

Ἔγρεο, Τέκνον, ἐπεὶ σὺ φίλης αἰῶνος ἀμερθῇς,
Μητέρι σῇ καὶ μοῖρα κακὴ πάντεσσι τέτυκται.
Ἔντεσι θωρηχθεὶς χρυσείοις τῶν ἐπὶ σαυτοῦ
Οὐκέτ' ἀριστεύσεις, ἐναλίγκιος ἀστέρι καλῷ.
Δυσμενέες δ' ἄρα Κελτοὶ, ἀγείρατε ἐς φρένα θυμὸν,
Καὶ γὰρ ἅμ' εὐγενέϊ φθινύθουσιν τεύχε' ἄνακτι,
Ἀλλά σε νῦν μεὺ, ἐμὸν τέκος, αἰόλαι εὐλαὶ ἔδονται.
Εἰμὶ δ' ἐγὼ πανάποτμος, ἰῇ πεπρωμένη αἴσῃ,
Σεῦ ἀποτεθνειῶτος, ἐμὲ σκότος ὄσσε καλύψει.
Ὡς ὅταν Ἀστερίας στρουθὸς φάγεν ὑψιπετήεις,

Τέκνα

Τέκνα φίλη ἑτέρωθεν ὀδύρετ' ἐν αἰθέρι μήτης,
Πολλάκις ἀμφιαχυῖα, πανύσατον ὤλετο δ' αὐτή.
Ὣς μήτης ὀλοφυδνὸν ὀδύρετο δακρυχέουσα.

Τὴν δ' ὀλιγοδρανέον ϖροσέφη τέκος· Οὐκέτι, Μῆτερ
Πότνιά, με κλαίοις τὸ πὶν πεπρωμένον αἶσῃ,
Θυμὸν ἄχει μεγάλῳ βεβολημένη· Ἀϊδος εἶσω
Βήσομαι, ἀλλ' ἀέκων, ὅτι κὴρ ἔμ' ἀφείλετο κῦδος·
Ἀβάλε μοι πόλεμος δεδιὼς φίλα γύνατ' ἔλυσε,
Καὶ τότε, γνήσιον αἷμα, τοκήων ἄξιον ἦμην.
Εἰμι δ' ἐγὼ ϖρὸς Ὄλυμπον ἀγάννιφον, ἦχι Μαρία
Ἕζεται· ἀλλὰ σὺ σκῆϖτρον Πὶ χθονὶ πυλυβοτείρῃ
Δέξο, τεῶν ἅμα Ναυσαΐδῃ κρατέουσα Βρεττανιῶν.

Michael Ward,
Coll. Weſt. Alumn. Reg.

ΓΗθοσύνοισι χόρδις μιχθεὶς ὠρχήσατ' Ἱλερμος,
Ἄισμασι κὴ ἦμαρ κλεῖε γενεθλιακὸν·

Ἀλλὰ γλυκεῖς φαιδρῶν μολπῶν λήθοιτε μελῳδοί,
Ἆισμα γενεθλιακὸν γίγνετο ἐνδάφιον·

Κάτθανε καλὸς Ἱλερμος, ἑοῖς κὴ πῆμα τέτυκται,
Ἓν δ' ἦμαρ πολλὸν χάρμα λυπήν τε φέρει·

Ἀλλὰ

Ἀλλὰ σύγ' Ἄννα κακῆ δύσμητερ λῆγε γόοιο,
Παιδὸς μὴ κλαίῃς σβεννυμένοιο φάος·
Περὶν μὲν ἐπιχθονίοισιν ἐφαίνετο κύδιμος Ἀστὴρ,
Ἀστὴρ λαμπρότερος νῦν δ' ἀῤ Ὄλυμπον ἔχει·
Ἤματι τῷ τὸ πάρος θ' ὡς Φωσφόρος ὦρτο Βρεττανοῖς,
Ἤματ' ἰὼ λάμπει Ἕσπερος ἐν φθιμένοις.

Vyner Snell,
Coll. Weſt. Alumn. Reg.

Ὣς ποτε Πάλλαντος Τρῶες πάφον ἀμφιέποντο,
Καὶ θέσαν ἡγεμόνι κλειτὸν ἀγῶνα νέῳ·
Ὡς ἡμᾶς περὶ σῆμα τὸν μέγα θυμὸς ἀνώγει
Δῶρα τὰ τυτθὰ φέρειν, τυτθὸν, Ἰλερμε, γέρας.
Οὐχ ἵππους δαμάσαν, ὃ σείειν ὄιδαμψ ἔγχος,
Οὔτ' ἀρ ὀϊστὸν ἰεῖν, οὐδ' ἔπι εὖμφα θέειν.
Ἀλλὰ τὸν δυνάμεθα μὲν κὴ θάρσος ἀείδειν,
Ἀλλ' ἡμᾶς Φοῖβος, κὴ περὶ Μοῦσα φιλεῖ.
Νῦν, κήν μὲν Μοῦσαι χαλεπαὶ, κήν αὐτὸς Ἀπόλλων
Σχέτλιος ἀρνῆται, Πένθος ἔδωκε μέλος.

Johannes Twisden,
Coll. Weſt. Alumn. Reg.

Ad Dominum Churchill

Honoratiſſimi Comitis de Marlborough Filium.

REſpice ſollicitæ gemitus, *Churchille*, Camœnæ,
Atque hæc non ſiccis accipe dona genis;

Pauca ſuper charo ſi mens audire Gloverno
Te ſinit, & triſtes non fugit ægra modos.

Ecquis enim poterit nomen meminiſſe Gloverni,
Nominis et pariter non memor eſſe Tui?

Illius ſine Te nulla olim gratia rebus
Quæſita eſt, Illum Te ſine nemo canat.

Tu Comes aſſiduus, ſi prælia ficta cieret,
Geſtabas Puero ſub Duce ſigna Puer;

Sive canes ageret, canibus non ſegnior inſtas;
Sive libros poſcat, ſunt Tua cura libri.

Et jam, frænato dum tendis in arva caballo,
Vinſoriæve colis limina nota domûs,

Anna Tuos quàm ſæpe pererrat lumine vultus,
Quas Tecum quærit nectere ſæpe moras?

Et dicit lachrymis oculos perfuſa nitentes,
Sic Meus ille manus, ſic tulit ora Puer.

Tu ſocias miſces lachrymas, ſociaſque querelas,
Et, Ducis audito nomine, triſte gemis.

Quod ſi Hoſtes inter cecidiſſet adultus & Arma,
Percuſſus Gallâ, Teutonicâve manu:

Non ſic extincti Diviſus fata Gloverni
Fleviſſes, eadem ceperat urna Duos.

Jacobus Sandys,
Coll. Weſt. Alumn. Reg.

VInſora moles condita Regibus,
Et chara ſemper Regibus unicè,
Fruſtra ſalutares & undas
Eſſe tibi memorant, & auras.

O inter omnes nomen amabile,
Wilhelme princeps, quæ violentia,
Quæ tanta febris te redonat
Diis Proavis, Patrioque Cœlo!

Viburna quantùm lenta ſuper ſolet
Britanna Quercus tollere verticem,
Quantùm ſuper ſpinam explicatis
Dana comis Abies renidet:

Tantùm coævos indole Principes
Et ſpe præibas; haud aliquem potens
Germania, haud fœcunda Regum
Franca parem Tibi jactat Aula.

Tu Talis altum ponis humi caput,
Et cedis Orco, qui, ſimul ingruit
Fatalis hora, ſive Plebem,
Sive Duces temere recondit.

Johannes Dolben,
Coll. Weſt. Alumn. Reg.

Ad Fanum Weſtmonaſterienſe.

SAncta Ædes, quæ tot monumenta inſignia jactas,
Magnaque clarorum contegis oſſa Ducum;

Mœſta reconde aliam ſacris penetralibus urnam,
Atque novum extinctis Regibus adde decus.

Accipe depoſitum Gloverni flebile, quamvis
Ad te, non qualis debuit, Ille venit.

Te decuit capiti priùs impoſuiſſe coronam,
Debuit hoc etiam muneris eſſe Tui.

At Tu jam ſaltem obſigna Regale ſepulchrum,
Et clauſæ duro ſtent adamante fores.

Sufficiat Puer hic, capiat venientibus annis
Non niſi longævos ſerior Urna Senes.

Gulielmus Turner,
Coll. Weſt. Alumn. Reg.

FINIS.

237446